

& aëris. Cujus difficultatis nulla solutio dari potest, stan-
te physices Peripateticæ constitutione. Sin dicas, hoc fieri
diversis instantibus, intercedente aliquo privationis tempo-
re, subvertes hoc dicto Phys. Aristot. fundamenta, quæ vo-
lunt, Impossibile esse, ut materia vel ad momentum informis
existat. *Quare cedat foro Privatio &c.* Ac licet *Canimbri-
censes*, contradictoriè tamen minusq; aptè, putent, in ipso
generationis puncto privationem dari & perire; Illos ta-
men rectè *Mendoza* hisce refutat, In uno instanti reali, inqvi-
ens, non possunt componi formæ & ejus privatio, quia eadem
res simul esset & non esset. Præterea, generationem explica-
ri quàm optimè posse absq; privationis figmento, per quatuor
scil. causas, Materialem, formalem, efficientem ac finalem
saniores omnes nòrunt, equidem accuratissimè. *Quemad-
modum* etiam falsum est, principia esse contraria. Nun-
quam enim forma est contraria materia, nec hæc illi. Hinc
rectissimè *Foxius l.1. de Nat. Phys. c.7.* Icribit: Nec obstat
huic sententiæ (*quod privatio non sit tertium principium phy-
sicum*) quod principia rerum contraria esse dicantur, cum
in qualitatibus elementaribus id fiat, non in aliis rerum
institiis, atq; hæc sit ignota plerisq; hominibus præter phy-
sicos hypothesis. *Quam* in rem plura afferre iustituti no-
stri ratio vetat. *Qua* propter concludimus cum verbis *B.
Philippi l.1. Phys. p.2.* Unde, *inqvientis*, Aristoteles privationem
exsulpsit! Prodigii simile videtur privationem inter prin-
cipia numerare, quæ defectum magis significat,
quàm vim gignendi aliquid.

: 77